Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1373
Quelle:
Copyright:

negotiorum *Amsteloami* agebat, neque biennio supervxit. Adi de de eo, ejusque Scriptis *Lexicon Univ. lit.* K. Codicem nostrum, ut *Tolandi* verbis c. 5. *Nazar.* p. 15. utar, habuit *out of the library of a person of grat name and authority in the said city* (Amsterdam) *who during his ife was often heard to put a high value on this piece.* Addit *Miscel. Vol.* I. p. 381. *There's but one copy of it in Christendom, accidntally discover'd by me at Amsterdam in the year 1709. and now n the Library of his most sereie Highness Prince Eugene of Savoy.* Pluribus abstineo; nam et *Bern. Moneta*, *Tolandus*que, et ex utroque *Fabricius locc. citt.* tam de totius Codicis ratione, quam de impudentibus ejus technis, quantum satis est, retulere.

DCIX.

U. 454 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 321. f. per duas columnas exaratus, et rubricis distinctus, sed situ multis locis satis evanidus absque titulo continet *Richardi Radulphi Fil.* sive *Fitzralph* Responsa ad *Quaestiones Armenorum* Libris XIX. inclusa, quae etiam nomine *Summae*, seu *de Erroribus Armenorum* veniunt. Praefatio incipit: *Reuerendis in christo patribus Nersi archiepiscopo manasgarden. Ac fratri iohanni electo Clacen. maioris armenie Richardus Radulphi* (fil.) *archiepiscopus Ardmachanus primas hibernie per gratiam scire iusticiam, donec hauriatis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Ex relacione vestre sancte deuocionis* &c. *Romae* nempe aut *Avenione* cum illis congressus erat Noster, unde et egregio Operi suo formam Dialogi inter *Johannem* et *se* dedit. Init illud: *Johannes. Quia ex literali sensu scripture sacre intendis in hoc opere tractare armenorum propositas questiones* &c. Ut in Exemplo, quod recensui *Vol.* I. P. 2. *col.* 2069. et in Edit. *Parisina* f. a. (1511. aut 12.) f. correcta, ut praefert, per *Johannem Sudoris* (le Sueur) qui tamen in hac correctione tam parum sudavit, ut Codex noster *ms.* sit correctior.

Thecae ejus interius utrinque adglutinata est Membrana 4. angustis columnis eleganti charactere exhibens Textum propheticum *hebr.* punctatum, et quidem anterior magnam partem *Sophoniae* a C. I. v. 9. et *Aggaei* initium, posterior vero reliqua *Sophoniae*, et *Aggaeum* usque ad C. I. v. 12. Reliqua improbe resecta sunt.

DCX.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 211. 4. maj. non una manu, charactere tamen atro luculento per totum scriptus, rubricis enotatus, a *Leibnitio* oblatus Heroi *Eugenio Sabaudico*, sed ante Episcoporum *Varmiensium* fuit; legitur enim *fol.* Codici praetexto: *Iste est Liber Heinrici Episcopi Warmien.* quem *Henricum* ordine IV. habeo, dictum *Heilsberg de Vogelsang* et functum munere E. 3